

Q.K.355,8.

X 187 6780

BREVIS

ΔΙΕΞΟΔΟΣ

DE SANOPHYSI-

CÆVSV IN REBVS

DIVINIS:

Πi  
810

*Vbi exemplis aliquot ostenditur, quomodo etiam  
ex sobriâ de principijs & adfectionibus corporum na-  
turalium doctrinâ errores nonnulli Theo-  
logici commodè castigari queant:*

COLLEGIO DISPUTATIONVM PHY-  
ficarum privato in inclytâ Academiâ VVite-  
bergenfi, coronidis loco subjuncta,

*Autore*

M. FRIDERICO BALDVINO

Dresdensi Poëta Laureato Cæsareo.



VVITTEBERGÆ,

Typis Meisnerianis, Anno M. DC. I.






REVIS  
ALBERTO  
DE SANOPHYSI  
GERSVIRRY

Notandum est quod in hunc modum  
collegio Disputandi  
in hunc modum  
organum philosophicum

M. FRIEDERICUS BARDWINO  
Doctor Philosophiae Collegio



WILHELMUS  
Typis Meißnerianis Anno M. DC. L.





AMPLISSIMO ET CON-  
SULTISSIMO VIRO, DOCTR-  
nâ, virtute & autoritate præstantissimo, Dn: LVDO-  
VICO VVILHELMO MOSERO, Electorali  
aulæ Dresdenfi à consilijs, & Illustrissimo Principi ac  
Domino, Dn. AVGVSTO Duci Saxoniae &c,  
à studijs: Domino ac Mecænati meo de-  
votè suspiciendo.

**M**OSERE, Divis nate faventibus,  
O dulce voti præsidium mei,  
Boniq; civis, aulicique  
Regula viva, senum medulla:  
Cui cordis ardor entheus in sinus  
Frontis serena sessitat, in genis  
Gravis venustas, inq; toto  
Mascula mens animusq; vultu.  
Vix incoãta prima puertia  
Ætas ad arcem Te sapientia  
Evexit, & docto perussit  
Pectoris interiora thyrso:  
Post, in patentes Experientia  
Te duxit agros, & tua publico  
Armarvit usu, liberali  
Arte prius solidata, sensa.

A 2

Hinc



Hinc absoluti pondere iudicij  
Sagacitatem vincere Vlyssæi,  
Supraq; vulgus erudito  
Nestoream potes ore linguam  
Æquare: quo, si consilij tui  
Nervum recludis, pectora vi ligas:  
Si quid suades, suaviori  
Eloquij gravitate mulces.  
His ergo primum dotibus æmulos  
Fecisti, & istà laudis adoreà  
Tibi triumphum, alis ovatum:  
Inq; tui rapuisti amorem,  
Mundi dynastas, donec in aulico  
Multum probate examine, Principis  
Primum **WILHELM I** dicerere  
Fida anima ac genialis auris:  
Mox juniori pro-pater additus  
Eratrum medullæ, Saxonie Duci  
**AVGUSTO**, honorata edidisti  
Indicium specimenq; mentis.  
Iam matris augustæ **SOPHIÆ** comes,  
Et **LANG-GEORG** I principis es manus,  
**SEPTEMVIRIQ; CHRISTIANI**  
Dextera corq; satis fidele.

Hoc



Hoc inter omnes arduus aulicos  
Clares honorum lumine : nec tamen  
Vllum sub augustà latenter  
Fronte supercilium recondis.  
Sed inter isthac maxima Gratia  
Magmenta, certas sæpe minoribus  
Humanitate, literatæ  
Intimius faviture turba.  
Hoc ergo fretus iudicij tui  
Sinceriori præsidio, Tibi,  
MOSERE, quamvis impolitis,  
Audeo me insinuare chartis.  
Quicquid laborum est, suscipe, suscipe :  
Tibi juventa primitias mee ;  
Seu sint Sophorum tincta rore,  
Theologovè liquore, libo.  
Tu, si favoris me facili tui  
Aurà beabis ; adepol ! & mihi  
SEPTEMVIR ILLE CHRISTIANVS,  
Supplice Te, facile favabit.

VViteb. Idib. Aug. cio. io. ci.

M. Fridericus Balduinus  
Dresdensis. P. C.

A 3

DEO



DEO DVCE

FIDE ET PATIENTIA  
COMITIBVS,



*Philosophandū est, sed paucis: nam omnino, nocet.*

*Cicero. 2. de  
orat. Gell.  
lib. 5. noct.  
cap. 15.*

**P**Hoc Ennij senario, qui laudatur à Cicerone  
atque Gellio, privatam nostram Physicarum  
exercitationum ἀκρόασις exorsi sumus; eodem, bono  
iam consilio concludimus. Nemo enim vestrūm est, E-  
ruditione & Virtute Ornatissimi juvenes, Collegæ le-  
tissimi, qui non per hoc semestre hunc locum eo animo  
acceserit, ut amicā de rebus non omnino nauci collatio-

*Plato in  
Gorgia G.  
3. de ll.*

ne ὠφέλιμα κὴ ἡδέα coniungat: quæ duo non immeritò  
σῆμα ἀριφραδέος perfectæ scientiæ existimavit Socrates  
apud Platonem. HOC nimirum est Philosophari

*Seneca l. 6.  
epist. 45.*

paucis, utilia discere, ne non-necessaria edocti ne-  
cessaria ignoremus. Quo quidem studiorum in genere si  
vel totam ætatem contriveris; tamen pauciste Philoso-  
phatū esse rectè dixeris. Qui verò nihil aliud, quam non &  
hoc dicentes, vitiligatorū instar de Ente & non-Ente, de  
idētitatibus; de realitatib. de subijcibilitatibus, de ideis, &  
nescio quibus alijs animi nimis calidi cōceptibus & inani-  
tatibus totos dies & annos ad ultimam usq; senectā miserè  
perdunt; quid hi faciunt aliud, quàm ut medias inter spi-  
nas toto corpore pungi malint, quàm leni digito rosam

*Plato in  
Gorg. Gell.  
10. noct.  
cap. 22.*

unam atq; alteram contrectare? qui sanè homines non  
commiseratione, sed, divini Platonis iudicio, πληγῶν δει-  
δῶν, verberibus indigere videntur. Sed enim, inquires,  
quid



quid Physicarum rerum contemplator pensi habet utilia?  
annon, Lactantio teste, in solâ morali Philosophiâ tota  
Philosophiæ ratio continetur, siquidem in illâ Physicâ,  
sola oblectatio est; in morali etiam utilitas? Credo sanè,  
qui in naturâ quærunt ea, quæ modum naturæ excedunt,  
illos fortasse ὡς ἀερόβατοντας καὶ περιφρονούντας τὸν ἥλιον (ut  
Aristophanes olim Socratem, quantumvis immerentem,  
derisit) jucundam pati phrenesin, inutilem verò insu-  
mere operam, non iniquè dixerim. Cùm enim nullâ in  
parte ratio, sed voluntas naturæ quærenda sit: ideò, eo-  
dem Lactantio iudice, Physici admonendi essent, ne quæ-  
rerent ea, quæ modum cogitationis humanæ excedant:  
sed cogitarent, omnia scire, solius Dei esse, nihil scire,  
pecudis, quædam verò scire, & quædam ignorare, solius  
esse hominis.

Eiusmodi moderata rerum naturalium scientia, quã-  
tum conferat studio politico vel medico, in præsentia  
non dicam. Periclen certè ideo primum inter oratores  
locum obtinuisse Plato autor est, quod Anaxagoram  
Physicum audivisset: Medicos verò suæ artis initium sta-  
tuere, ubi finem faciunt Physici, Aristoteles nō uno in lo-  
co docuit. Quæ duo Physicæ elogia ita exprimit Simplicio  
græcō Aristotelis interpres: φυσιολογία τῆ ἰατρικῆ τὰς ἀρχὰς  
παρέχει, καὶ ταῖς πρακτικαῖς ἀρεταῖς συλλαμβάνει. Mihi verò  
hoc jam curæ erit, ut ostendam, quantum ad nonnullas  
Theologorum controversias & melius intelligendas &  
facilius deponendas, faciat naturalis Philosophia. Etsi  
enim magnum est periculum res fidei humanis commit-  
tere rationibus, siquidem non opus habet divina scriptu-  
ra humanâ sapientiâ, ut oportune monet D. Chryso-  
stomus: tamen utile est interdum cum Ratione Fidem cō-  
ferre, ut, si qua in parte mutuam sibi operam hæc duo  
præstare videris; eò magis in fide confirmeris: si dissen-  
tire

Lactant  
lib. 3. in  
stit. diu.  
cap. 7.

Plin. l. 37.  
nat. hist.  
cap. 4.

Lact. lib. 3  
cap. 6.

Plat. in  
Timæo

Arist. l. de  
respir. in  
fin. & l. de  
sensu c. 1.

Chrysoft. in  
Gen. homil.  
11. & in  
Psal. 115.



August. l. 6.  
de civ. Dei  
cap. 5. Ro.  
1. vers. 5.

de gen. ad  
lit. lib. 2.  
cap. 5.

Chrysof. in  
1. ad Cor.  
homil. 5.

August.  
contr. Ma-  
xim. lib. 3.

tire intellexeris; mysteria Dei mirari potius quam rima-  
ri discas. Gentilibus profectò amplissimus hic Naturæ li-  
ber Theologia erat, in quo ex rerum ordine & mirabili  
caussarum nexu divinam mentem, tanquam ex ungue  
leonem, agnoscebant, ut ex Varrone D. Augustinus te-  
statur: & D. Paulus hoc imprimis nomine Ethnicos di-  
cit inexcusabiles, ut qui ex visibilibus huius mundi invi-  
sibilia Dei cognoverint. Christianorum autem fidei suf-  
ficit hodie verbum Dei, ut principium unicè ἀναπὸδ' αὐτοῦ  
& θεόθεν, cuius multò major est autoritas (ut  
ait D. Augustinus) quàm omnis humani ingenij capaci-  
tas. Hæretici tamen non contenti hoc principio, natu-  
ræ quoq; vires consuluerunt in fidei articulis, malue-  
runtq; res divinas ex Philosophiâ, quàm ex verbo D E I  
intelligere, hoc est, candens ferrum non forcipe sed di-  
gitis contrectare, ut pulchrè de ipsis loquitur Chrysof-  
mus. Horum igitur malitia ut eò fortius reprimatur, in-  
consultum omnino non est, positâ prius, primi funda-  
menti loco, Fide Christianâ, ex eodem deinceps arma-  
mentario, ad quod ipsi confugiunt, tela interdum depro-  
mere, ut ita res cum re, causâ cum causâ, ratio cum ra-  
tione concertet, ipsiq; proprio iugulati gladio, eodem  
tandem iudice, ad quem sponte provocarunt, condem-  
nati videantur. Hoc ergò sine decrevi iam in Coronide  
Physici nostri collegij quàm brevissimè ostendere,  
quomodo ea Physicæ pars, quæ de principijs & Affecti-  
onibus corporum naturalium agit, ad intelligenda &  
pro merito castiganda paradoxa Theologica utiliter ad-  
hiberi queat. Qua quidem in re quia me non extra oleas  
exercitij nostri vagaturum, nec omnino nullum operæ  
preciû apud vos facturum existimo: ideo vestram quo-  
que, Auditores, benevolam attentionem eò promptiorem  
fore



fore confido. De Principijs igitur corporum natura-  
 lium ut primo loco dicamus; negari sanè non potest, ea,  
 quemadmodum à sanioribus etiam Philosophis recen-  
 sentur, & explanantur, evertere funditus sacrosanctum  
 illum de Creatione Mundi articulum. Quod si igitur  
 hisce Philosophorum fundamentis in causâ fidei inni-  
 tendum esset, dicendum omninò foret, quod res est, nos  
 primo statim in limine aberrare à januâ, eoq; nomine  
 Philosophos, Lactantij iudicio, religionem tollere. Qui  
 enim ex nihilo, & ex simpliciter nonente aliquid fieri  
 impossibile iudicat; qui unumquodq; ex suo fieri com-  
 posito, omneq; quod fit, ex aliquo fieri contendit: quo-  
 modo credat ille, hoc καλὸν ποικιλμα τέκτονος σοφῶ, uti  
 mundum nominat Euripides, ἐκ τῶν μὴ ἐκφανομελῶν, & ἐξ οὐκ  
 ὄντων, ut Spiritus Sanctus loquitur, esse productum? O-  
 mnia enim ista Physicorum principia non nisi genera-  
 tioni rerum inserviunt; cùm Creatione verò è diame-  
 tro pugnant: ideo ad hunc usum principia Physica ad-  
 hiberè nec volumus nec debemus. Habent tamen adhuc  
 aliquid aliud in recessu, quo nobis non inutile suppedi-  
 tatur helleborum contra stolidam nonnullorum hære-  
 ticorum insaniam. Quod antequam exponam, hoc si-  
 ne dubio mecum extra omnem controversiæ aleam po-  
 netis, nullum Philosophorum usq; adeo dementem fu-  
 isse aut temerarium, ut Demu ab omni plane consortio  
 principiorum naturalium relegatum voluerit. Iam verò  
 δαμόνι iste Naturæ doctor Aristoteles dum in descri-  
 benda primæ istius causæ efficientis naturâ & conditi-  
 one integros absolvit libros, ex ipsis naturæ visceribus  
 demonstrat, primam istam causam efficientem non  
 posse esse nisi unam, & non posse non esse omnium  
 causalitatum causam. In causis enim moventibus ef-

I.  
 Contra  
 plura crea-  
 tionis prin-  
 cipia Va-  
 lentini &  
 similia

Lactant.  
 lib. 2. c. 3.

Aristot. l. 1.

Phys. 4. §.

33. cap. 8.

§. 75. c. 5.

§. 43. §.

7. Metaph.

§ 22.

Hebr. 11.

vers. 3. Ro.

4. vers. 7.

2. Maccab.

7. vers.

28.

8. Phys. §.

§ 2. Me-

thaph. 2.

B

sentia-



*Tertul. de  
haeres.*

sententialiter subordinatis oportet tandem dari, inquit, unam primam, immobilem & supremam, à qua & mediæ & ultimæ dependent, & moventur omnes. Quid ergò sibi voluerunt Valentiniani, Basilidei, Cerdoniani, Carpocratiani, Marcionitæ & eius furfuris alij, qui homines in scholâ quidem Platonica excellenter docti, hunc tamen naturæ ordinem interverterunt, & duplex Creationis Principium blasphemè pariter & imperitè in naturam invexerunt? Valentinus usq; ad triginta æonum fætus, tanquam AEoniæ scrofæ examen (ut de eo loquitur Tertullianus) divinitatis effudit, quos omnes dixit creatores fuisse, quorum trigessimus diabolum condiderit, quem κοσμοκράτορα appellabat. Reliqui omnes duo finxerunt initia cõæterna, hoc est, duos, deos unum bonum, alterum sævum; unū boni, alterum materiæ nocentis in naturâ autorem; nihil discernentes inter ea quæ revera mala sunt, ut sunt omnia scelera, quæ usitatè, mala culpæ nominari solent, & inter ea, quæ videntur esse mala, cum tamen bonum in finem adhibeantur, quæ aliàs mala pœnæ dicuntur: de quibus duobus Mali generibus eleganter Tertullianus: Separatis malis culpæ & malis pœnæ, malorum culpæ diabolum, malorum pœnæ D E V M creatorem & autorem definimus. Sed quorsum isthæc principiorum cõæternorum multiplicatio? Quænam esset dependentia inferioris naturæ à gemino aut quatergemino efficiente supremo? Quod si omnes isti αἰῶνες Valentiniani, omnes istæ ἐκβολαὶ καὶ προβολαὶ, quos fingebat Basilides, omnes istæ rerum inferiorum causæ & movent & moventur à superiori, omnes sanè sunt instrumentales: instrumentales autem esse non

*Tertul. l. 2.  
cont. Mar-  
cion. c. 14.*

non



non possunt, nisi ab aliâ principali causâ unicâ cieantur. Oportet igitur esse unum aliquod immobile principium Creationis, à quo omnes creaturæ suam habeant dependentiam. Atque hoc quidem Primum est, quod ex Physicorum de principijs doctrinâ adversus veterum hæreticorum monstrosa dogmata usurpare possumus. Ex eodem fonte petimus antidoton contra virulentam insani Manetis *μανία*, qui Deum & Materiam dixit esse ingenita, quorum illum lucem, hanc tenebras appellavit: Deum orientalem, Septentrionalem & occidentalem obtinere plagam; Materiam Australem finxit. Materiam unâ cum dæmonibus & igne & aquâ impetum fecisse in lucem dixit, qua subitâ concertatione Deum fuisse coactum, ut mundum conderet, & mixtione materiæ & lucis litem istam sequestraret. Inprimis autem nugatus est, hominem non à Deo, sed à principe materiâ *Seucla* (*ὑπὸ τῷ ὑλαρχῷ σὺκλα*) fictum esse, & alia mira de Materiâ deliravit: quo pacto non modò materiam æternam fecit & ingenitam, sed & principium rerum naturalium activum: id quod non tantum apud Theologos est incredibile, sed & in Philosophorum auribus omnino intolerabile. Hoc enim axioma in scholis Physicorum omnium iam dudum innotuit: Materiam solùm esse causam passionis, & omnis receptivitatis (ut loquuntur) radicem: materiam esse puram potentiam; esse gremium & receptaculum formarum; esse infimam substantiarum omnium. Quomodo igitur Materia vel ab æterno Luci bellum faciat, vel in tempore minutissimum etiam producat substantiæ gradum, nedum omnium nobilissimum istud animal, Homi-

B 2

nem?

II.

Contra de  
liria Manetis de materia prima.

Niceph.  
lib. 6. hist.  
Eccles. c. 31

Aristot. l. 1.  
de gen. &  
corr. cap. 7.  
S. 55. et 1.  
Phys. 7. S.  
69. & 1. de  
gē. & corr.  
3. S. 11.  
Plato in  
Timæo. De  
mascen. in  
sua Philos.  
c. 3. August.  
lib. 12. con-  
fess. cap. 3.  
& 6.



nem? quomodo item materiam ab omni aeternitate  
 cum Deo conjungat, cum nihil omnino in rebus sit ma-  
 gis abiunctum, magis diversum à DEO, quam materia?  
 Quippe ille est actus purissimus, hæc pura potentia: il-  
 le summum ens, hæc ens infimum ac propè nihil: ille  
 infinitæ potentia, hæc nullius: ille fons perfectionum  
 omnium, hæc radix omnium defectuum in naturâ. Quis  
 ergò tam impotentis sit judicij, ut credat, actum puris-  
 simum cum purâ potentiâ, præstantissimum Ens cum  
 despiciatissimo, perfectissimum cum debilissimo confi-  
 stere potuisse ab aeterno? Hoc ergò esto alterum, quod  
 ex principijs Physicis contra effusam Manetis & *μαχι-  
 χδύτων* phrenesin fortasse non sine fruge adhibemus.  
 Contemplemur adhuc unum, quod ex præcedentibus  
 derivatur. Quoniam Materia non modò omnis rece-  
 ptivitas radix est, sed &, ut interpretes ex Aristotele  
 deducunt, omnis corporeitatis ratio, quæ facit, ut res  
 naturales possint esse corpora: colligimus hinc 1. acci-  
 dentia nulla esse posse, ubi non est subjectum, in quo re-  
 cepta sustineantur. 2. accidentia nulla substantiam pos-  
 se constituere. 3. accidentia non accidenti, sed substan-  
 tiæ accidere, ut loquitur Aristoteles. Quid ergò fiet  
 cum Transubstantiatione pontificiâ, in qua ita panem  
 in corpus, & vinum in sanguinem mutari asserunt, ut  
 species duntaxat, hoc est, accidentia panis & vini rema-  
 neant? Quid ergò? dum in conversione istâ panis & vi-  
 num esse desinunt, num species istæ, sive accidentia pa-  
 nis & vini residua, constituunt essentiam? vel si non;  
 cum accidentium esse sit inesse, cuinam inhærent subie-  
 cto, materiâ panis iam per conversioem sublatâ, mate-  
 riâ vini per eandem *μετσίαν* penitus deperditâ? Hic  
 verò succurrit Romana synagoga: supra omnem naturæ  
 ordinem

III.

Contra  
 trāsustā-  
 tiat: Pon-  
 tificiam,

I. Zabarell.  
 2. de mat.  
 pr. cap. 17.

4. Metaph  
 1. S. 4.

Concil. Trid.  
 sess. 13.  
 cap. 4. anno  
 1551. d.  
 11. octobr.

Catech. Ro.  
 part. 2 de  
 sacr. Eu-  
 char. c. 4  
 quest. 37.



ordinem (inquiunt) ipsa se, nullâ aliâ re nixa, sustentant. Bellè igitur faciunt, quod, dum mirificâ suâ μεταμορφώσασιν naturæ ordinem evertunt, ad miracula demum confugiunt. Quî fit autem, quòd Nazianzenus, cum omnia Christi miracula accuratè presequatur, nullam huius miraculi mentionem facit; Augustinus etiam, in libris de mirabilibus scripturæ, huius miraculi planè obliviscitur? Scilicet viderunt sanctissimi patres, miracula quidem esse præter & supra naturam, sed non contra eam, ita ut naturalem rerum essentiam tollant, sicut fit in Transsubstantiatione. Naturarum enim conditor Deus, ut præclarè inquit Augustinus, in miraculis nihil contra naturam facit; nec quod novum consuetudini, repugnans est rationi. Oportunè igitur Robertus Bellarminus, aulæ Romanæ Cardinalis, nutanti huius synagogæ parietum fulcrum supponit. Novit enim, quid in Lateranensi synodo purpurati patres decreverint, nimirum, Scripturam sacram veritati naturæ non repugnare, eò quod verum vero non contradicat. Quapropter ad miraculum confugere ipse non vult, sed à Scholasticis suis edoctus, dicit, quantitatem remanentem esse subiectum reliquorum accidentium. Ex hoc verò fundamento postmodum alij ad ridiculam istam quæstionem; si vermis nascatur ex speciebus sacre Eucharistiæ, ex quam nascatur materiâ? responderunt ex iisdem Scholasticorum, Thomæ, Aegidij, Scoti, Durandi, somnijs: in eo eventu, receptis primùm in quantitate dispositionibus ad formam vermis, ipso generationis momento subijci à DEO materiam, vel denuò creatam, vel aliunde ascitam, vel potius eandemmet, quæ evanuerat, reproductam, ex qua simul cum formâ vermis componatur. Ritesum teneatis, amici, ad prodigiosum novi vermis ortum.

B 3

Admi-

August.  
cōt. Faust.  
Manich.  
lib. 26.

Synod. Lat.  
3. sess. 3.

Bellarmin.  
tom. 2. l. 3.  
de sacram.  
Euch. cap.  
19.

Colleg. Co-  
nimbr. in  
lib. 1. Phys.  
c. 9. qu. 5.  
ar. 3. §. 3.  
& lib. 1. de  
gen. & cor.  
c. 4. qu. 7.  
ar. 2. §. 6.



Admirandam hinc videtis multorum miraculorum cōgeriem. Dispositiones ad formam non in quantitate sed in materiâ, ut in subiecto proprio recipi didicistis hactenus à Philosophis; quæ causâ est, cur materia omnis receptivitas radix & passionis omnis fundamentum, imò subiectum omnium categoriarum appelletur: quantitatem naturâ posteriorem esse materiâ, imò omnem substantiam tempore, naturâ, & definitione accidenti priorem esse, ordo naturæ vos docet: Iam quantitatem ad recipiendam formam disponi; quantitatem subiectum esse; accidens accidenti accidere; substantiam deniq; de accidente, corpus nimirum Christi de quantitate panis, prædicari, auditis. *Ὁ σοφὰ φάρμακα!* quodnam exulceratæ causæ epithema dignius applicari potuisset? Sed hæc Pontificijs cōcilianda relinquimus: interim à principijs Physicis ad Causas nos progredimur.

In hac verò Naturalis scientiæ parte occurrit primo loco classica isthæc Philosophorum assertio, qua docent causas particulares non modò inter se naturaliter esse connexas, ita ut externæ à se invicem dependant, non autem necessario ab internis: sed & hoc insuper addunt, universalem atque primam causam, *DEVM*, necessario concurrere actu ad quemlibet particularis causæ effectum producendum, non cogendo eas ad actiones promiscuè omnes, sive bonæ sint, sive malæ, sed vires eis suppeditando, easdem sustentando, in vigore tuendo, ad agendum applicando & ad destinatos fines dirigendo & determinando, ut ex Aristotele contra Stoicos inprimis collegerunt interpretes Scholastici. Hinc verò pleno impetu irruunt nonnulli, qui se orthodoxos nominant, plusquam Stoicâ morositate vehementer contendentes, primam causam non modò generali

*Aristot. 1. Phys. 4. & 9. & 1. de gen. et corr. 7. s. 55. et 7. Metaph. 2. s. 8. & cap. 1. s. 4.*

*Aristot. 8. Phys. c. 5. s. 41. & 1. Meteor. 2.*

*Thom. 1. 3. cōt. gent. c. 67. et par. 1. q. 105. ar. 5.*

*III. Cōtra Sz. cram. dog. ma de caus. la peccati*

rali



rali præsentia ad malas etiam actiones hominum cōcur-  
rere, sed, cum perpetuā agitatione omnia incitet, ad ma-  
lè agendum homines etiā impellere, nec se in actū pro-  
ducere actiones malas, nisi **DEI MOTV INCI-**  
**TENTVR**, nec pravitatem naturæ & effrenes cu-  
piditates exerceri posse, nisi **DEO** summo principe  
**MOVENTE ET IMPELLENT E.**  
Hac ratione verè Stoicā ἀνάγκη hominem peccare, &  
ad damnationem non modò, sed & ad causas damna-  
tionis, hoc est, ad peccata divinitus prædestinari, impelli  
& incitari tam immediatè à **DEO**, qui velit & faciat, ut  
in suis desiderijs impij vivant, ut expressis verbis scribit  
Zanchius; quàm mediatè, per ministeriū Satanæ, blas-  
phemant. Verùm enim verò, fatalis eiusmodi nexus  
causæ primæ cum secundis, quo non modo actio, sed &  
ἀταξία actioni adhærens, ad primam causam refertur, nō  
modò Theologorum sacra profanat, sed & rigorosā suā  
tetricitate sanorū Philosophorū sublèllia frangit. Nun-  
quā n: Physici effectum aliquē universali causæ remotis-  
simæ, sed particulari proximæ acceptū ferūt. Ita dum mō-  
strum nascitur; ad eius generationē concurrunt, Deus,  
Sol, parentes, δύναις πλασική, materia: nunquā tamen  
vel in Solē vel in parentes causa monstri rejicitur, sed  
vel in materiam, vel simile quid aliud, quod cum effectu  
propius cohæret. Sic, ambulat claudus deformi incessu,  
(quo exemplo utitur D. Augustinus) sed quia non defi-  
cit Deus, neq; virtus motrix, quæ est in homine, sed sola  
tibia, quæ ob curvitatem nō plenè subjicitur virtuti mo-  
trici: ideo soli tibix tribuitur causa claudicationis. In er-  
roribus enim tam naturæ quam voluntatis humanæ non  
causa efficiens, sed deficiens quærenda est. Eodem  
igitur pacto hīc quoq; dicendum est, Deum universale  
esse

*P. Martyr.  
in epist. ad  
Rom. cap. 1.  
& 9.*

*Beza volū.  
pr. fol. 417.*

*Gryna. in  
Thesaur.*

*ver. & or-  
thod. fid. fol.  
58. & 62.*

*Zanch. in  
Miscell. fol.*

*142. &*

*162. Calv.*

*institut. l. 1.  
cap. 16.*

*August. in  
d. perf. iu-  
stit. resp. 4.*



Thom. in  
part. 1.  
quest. 80.  
art. 1.

V.  
Contra Sa-  
cram. calu-  
mnia de  
allegoria  
Christi ad-  
scensione.

A. Sadeel.  
de ver. hum  
nat. pag.  
226. Pe-  
zel. cont.  
D. Hum.  
de sacram.  
pag. 7.

Aristot. 3.  
Phys. 1. §.  
4. & lib. 9.  
Metaph.  
c. 9. §. 16.  
Colleg. Co-  
nimb. in 3.  
Phys. c. 4.  
q. 2. ar. 2.  
§. 2.  
Eph. 4.  
vers. 10.

esse atque primum principium omnis interioris motus  
humani: sed quod determinatur ad malum consilium  
voluntas humana; hoc directè quidem est ex voluntate  
humanâ & à diabolo per modum persuadentis & appe-  
tabilia proponentis, sicuti appositè hoc explicant Scho-  
lastici. Hæc omnia & uberius & nervosius ex sacrarum  
literarum armamentario expugnari possent, sed id in-  
stituti nostri iam non est: sufficiat, minimo modò digito  
monstrasse, quàm fædè hic verè abominabilis & plus-  
quam Stoicus error in Physica principia impingat.

Iam verò, si ad Adfectiones corporum naturalium de-  
scendimus, iterum cum Cacodoxis istis nobis dimican-  
dum erit. Accusantur nostrates Theologi, & in toto orbe  
Christiano traducuntur immeritissimè, quasi tollant hi-  
storicam sententiã articuli de Adscensione Domini no-  
stri IESV CHRISTI in cælos, eumq; in allegori-  
am meram convertant, eò quod CHRISTVM in cæ-  
los quidem, sed non in certum quendam & definitum  
locum adscendisse credant. Agite, igitur, Auditores,  
experiamur licet, num ex Physicis quoque præceptis,  
quibus isti aliàs in rebus divinis plus nimio confidunt,  
tantis calumniatoribus os obturari queat. Constat inter  
Philosophos, omnem motum esse in mobili, ut in subie-  
cto, denominationem autem suam accipere à termino  
ad quem: ab eo enim reapse motus non distinguitur.  
Terminus autem ad quem in motu locali non est locus  
sed πῶς sive vbi. Potest enim corpus adscendere locali-  
ter eò, ubi non est locus. Iam verò nostri Theologi ex  
ore D. Pauli διαρρηθῆναι adserunt, CHRISTVM san-  
ctissimo suo corpore successivè & localiter adscendisse,  
sed quò? num ad locum aliquem? ὑπερ ἅνω πάντων οὐρανῶν,  
inquit Apostolus, longè super omnes cælos. Terminum  
igitur



igitur ad quem Adscensionis hujus salutaris non possu-  
mus neque debemus locum statuere. Nubem quidem  
nominat Scriptura, tanquam terminum ad quem adscen-  
sionis hujus visibilis. Sed ultra hunc actum visibilem  
alius adhuc longè sublimior quærendus est, quo Chri-  
stus evectus est non in locum aliquem physicum, non  
in  $\omega$  aliquod creatum, sed ad Dexteram majestatis ex-  
cellissimæ, ut eam Spiritus Sanctus appellat, quæ nus-  
quam est inclusa, nusquam exclusa, sed omnia replet in  
omnibus. Hic est ille eminentissimus ascensionis gra-  
dus, cujus symbolon & manifesta tessera erat visibilis il-  
la secessio. Et absolutissimo isto Evectionis gradu sub-  
limissima CHRISTI exaltatio distinguitur ab Eliæ  
& Enochi in cælum adscensu, qui quidem etiam corpo-  
ribus suis vivi ad cæleste aliquod  $\pi$  pervenere, hunc ve-  
rò summum locationis gradum adsequi non potuerunt.  
An igitur hoc est allegoricè de adscensu Christi in cæ-  
los loqui; vel literalem historiæ sensum evertere? Scili-  
cet, quia CHRISTVM non ad cælum Empyreum  
usq; (in quo adversarij unà cum Monachis, super firma-  
mentum, beatorum cameras distingunt) locali motu per  
Planetarum sphaeras successivè pervenisse dicimus; quo  
tamen motu CHRISTVM, ut ad patrem veniret, Beza in  
omnino indignis, isti audacter scribunt; ideo literam  
in allegoriam immutamus: dum adversariorum fabu-  
lam non recipimus; historiam quoque non credimus.  
 $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha \mu\acute{\iota}\alpha \kappa\acute{o}\nu\eta\varsigma$ , quæ quam pulchrè cohæreant, sapientes  
judicent. Allegorias in articulis Fidei averſamur toto  
pectore: scimus enim illas, quantumvis jucundas, rarò  
tamen ad fidem esse utiles. Ideo credimus, Christum in  
adscensione non subito disparuisse, sed visibili motu in

Act. 1.  
v. 9.

Hebr. 1.  
v. 4.

Gen. 5. v.  
24. 4. Reg.  
2. v. 11.

Bulling. in  
loc. Job. 14  
Beza in  
coll. Mom.  
pelg.

C

altum



altum elevatum & sursum subductum esse. Terminum autem visibilis hujus elevationis locum appellare, nec divinæ nec humanæ scientiæ leges permittunt.

**VI.**  
**Contra Sa-**  
**eram. cas**  
**lumniã de**  
**infinite**  
**carnis**  
**CHRISTI.**

*Matth. 28*

*v. 18. Job.*

*5. v. 27.*

*Dan. 7. v.*

*17.*

*Apocal. 5.*

*vers. 12.*

*Ambros. de*  
*resurrect.*

*Sadeel. de*

*ver. hum.*

*nat. cap. 3.*

*pag. 19.*

*3. Phys.*

*6. s. 40.*

Non minorem nobis λεγόμενοι isti Orthodoxi faciunt injuriam, dum falsò inferunt, nostros Theologos, cum carni CHRISTI in ipsam τὸ λόγος infinitam hypostasin assumptæ, infinita dona, infinitam majestatem & potentiam communicatam esse, adserunt; ipsam humanitatẽ Filij Dei infinitam facere & veritatem carnis hac assertione tollere. Accepit sanè ipsa caro CHRISTI omnem potestatem in cælo & in terrâ, etiam potestatem judicium faciendi quatenus filius hominis est; accepit potestatem, honorem & regnum, quæ non auferentur ab eo: accepit virtutem, sapientiam, gloriam & benedictionem, ita etiam, ut in sanctæ Trinitatis substantiam & consortium per Dominum Christum ingredi meruerit. Interim tamen retinuit humana Christi natura etiam post unionem cum λόγῳ finita sua & essentialia idiomatica, neq; unquam vel in Deum conversa, vel ex infinito-  
rũ idiomatum participatione infinita ipsa facta est, quod falsò nobis affricant adversarij. Nam, ut eleganter inquit Gerson: gloria humanitatem non tollit, sed extollit, non interficit, sed perficit. Et, ut intra limites instituti nostri nos contineamus; scimus etiam ex scholis Physicis, omne corpus ἐπιπέδῳ ὀρισμένον, ut loquitur Aristoteles, hoc est, dimensionibus suis præditũ, infinitũ nullo modo esse posse. Credimus etiam corpus Christi sanctissimũ etiam nũ ad ipsissimam Dei dextram ὀρισμένον esse ἐπιπέδῳ, & dimensionum suarũ διάσσω semper retinere, adeoq; verum corporis modum in æternum non amittere. Finitum ergò illud in infinitã τὸ λόγος ὑποστάσει & in infinitã  
nitã



nitâ illâ Dei dexterâ reverenter atq; piè agnoscim⁹. Neq; verò quisquâ nobis hîc obstrepat lemmate isto Physico: Finiti ad infinitū nullâ esse proportionem. Physici enim est considerare, εἰ ἐστὶ μέγεθος ἀόριστον ἄπειρον, an sit magnitudo infinita, quæ sensu cōpræhendatur: ad ea verò quæ sunt supra sensū, imò, ut Iustinus Martyr ait, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, Ἐπὲρ κατάληψιν κτισθεῖς φύσεως, adurgere Physicus nec potest, neq; etiam audet, nisi in summi Philosophi præceptum velit impingere, qui μετὰ βασιλῆα εἰς ἀλλογενῆ in inferioribus etiam disciplinis studiosè vitari jubet. Nescit certè Physicus proportionem Virginis & Matris uno eodemq; tempore; nescit analogiam Fidei & Carnis in uno corde humano: quomodo igitur vel infinitorū donorum cum finitâ carne Christi communionē, vel ipsius infiniti λόγος cum finito homine unionem ullo rationis acumine investigabit? Mirum igitur profecto est, reperiri Christianos, & quidē doctos atq; sapientes Christianos, qui mysterium hoc singulariter admirabile, & admirabiliter singulare angustissimis Physicæ regulæ cōpedibus constringere non verentur. Sed hæc hæctenus.

Recensetur inter Adfectiones corporis naturalis etiâ Locus; è cuius doctrinâ Physicâ iterum non intemperativè possumus occurrere adversarijs istis nostris Cadoxis, in eo doctrinæ Christianæ capite, quo CHRISTVM etiamnum in statu gloriæ & exaltationis ad dexteram Dei excellissimi, certo cœli loco includunt. Cùm enim Locus sit extremitas corporis undiq; continentis, ut ex Aristotele etiam Damascenus locum descripsit: colligimus inde, locum non usq; adeò necessarium esse corporis accidens, ut propterea essentia corporis destruat, si illud extra locum esse dicatur. Quod si enim

3. Phys. 5.  
S. 34.  
Iustin. in  
expos. fid.

Arist. 1. poster. anal.  
c. 7. S. 56.

## VII.

Contra Sacram. dogma de localitate corporis Christi.

Aristot. 4. Phys. 4. S. 41. Damascen. lib. 1. de orthod. fid. c. 16.



4. Phys. 5.  
S. 43.

Sadeel de  
bum. nat.  
mibi pag.  
324.

Apocal. 14.  
vers. 4.

Aristot. 3.  
de celo c.  
3. S. 22.  
seqq.

corpus ibi existat, ubi non est extremitas alia superior continens: illud certè ibi extra locum esse concedendum est. Illud enim corpus est in loco (inquit Aristoteles) extra quod est aliquod aliud corpus, quod ipsum continet: illud verò non est in loco, extra quod non est ullum corpus. Quo nomine etiam negat cœlum propriè in loco esse, quia non sit in ambiente. Cum igitur cœlum ipsum propriè in loco non sit, quomodo CHRISTVM, qui supra omnes cœlos ascendit, in loco aliquo Physico esse, ita ut citra corporis sui destructionem essentiali alibi esse nequeat, affirmamus?

Non igitur illi symbolo apostolico, Christianæque religioni fidem abrogant, qui humanam CHRISTI naturam in cœlo, ut in loco, esse negant, ut scribunt adversarij. Cœlum enim istud beatorum non est aliquod eiusmodi corporeum & locale cœlum, aut regio quædam longa, lata, profunda, supra omnes alios creatos cœlos aspectabilis, quale cœlum nobis describunt adversarij, sed est regnum cœleste, in quo beatitudinem suam DEVS electis communicat. Deficiet namq; locus omnis, in die novissimo, & nihilominus CHRISTVS cum electis suis in cœlo manebit in perpetuum: sequentur enim agnum, quocunq; iverit. Adde, quod locus naturalis tribuitur corpori propter imperfectiorem, ideo unumquodquè corpus sublunare fertur ad locum suum naturaliter, tanquam ad formam & perfectionem suam. Quæ verò, per DEVM immortalem, sit imperfectio in corpore sanctissimo CHRISTI, quod sine omni labe peccati in purissimo semper-virginis utero à Spiritu Sancto conceptum, & cum ipso DEO personaliter unitum, & S.S. Trinitati  $\sigma\upsilon\nu\theta\epsilon\omicron\nu\omicron\nu$  jam



jam factum est? Quod si igitur D. Augustinus de spiritalibus beatorum corporibus adfirmat, propter incorruptibilitatem suam non necesse esse, ut aliquo loco fulciantur: quanto verius hoc de omnium perfectissimo CHRISTI corpore dixerimus, quod non, ut alia, etiam beatorum corpora, suam in se habet existentiam; sed quod in ipso DEO suam obtinet ὑπαρξιν, ita ut nullo omnino indigeat loco, sed in λόγῳ extra omnia locorum διαστήματα subsistat. Verum hæc ulterius diducere non est nostri instituti: neque verò id ea, cui hinc studemus, brevitatis admitteret.

Tandem, ( ut unum adhuc addam, prætermiſſis multis ) ex eadem de Loco doctrina Physicâ possumus respondere ijs; qui corpus CHRISTI ratione dimensionum suarum, quibus intrinsecus circumscribitur, etiamnum ad DEI dexteram in loco esse prædicant. Duplicem enim isti locum fingunt: Vnum internum, quem dicunt esse situm & collocationem partium corporis, trinâ dimensione in convenienti distantia ordinatarum: Alterum externum, quem nihil aliud esse scribunt, quam partium istarum inter se ordine dispositarum ad externi ambientis sive adiacentis partes quantitas commensurationem. Hoc artificio putant se egregiè etiam CHRISTI corpus loco astrinxisse: siquidem situm & collocationem istam partium internam corpori CHRISTI nostratium quoq; nemo derogat, neq; sine ipsius corporis totali destructione derogare potest. Hanc verò novam novi loci fabricam everunt duæ non postremi nominis proprietates Loci Physici: quarum una est, quod loco per se competit, ut non sit aliquid rei locatæ, sed ab eâ maneat separabilis: altera

August. de  
cogn. vera  
vita c. 49.

IIX.  
Contra Sa-  
cram. dog-  
ma de lo-  
co inters-  
no.

Barth. Ke-  
kerman l. 1.  
de locat.  
& loco c.  
11.

Aristot. 4.  
Phys. c. 4.



*ibid. §. 34.*

verò est, quod locus & locatum debent esse duo contigua. Cùm enim id, quod continet, divisum non fuerit, sed continuum, (inquit Aristoteles) in illo, non ut in loco esse dicitur, sed ut pars in toto.

Considerent iam novi loci architecti, annon dimensiones istæ internæ, quibus locum suum describunt, sint de ipsâ corporis locati essentiâ, à qua nunquam separari queunt: & annon cùm corpore locati continuæ potius sint, quàm contiguæ? Cogitent & hoc, annon locum in loco, internũ istum in externo; imò unum corpus naturaliter simul & semel in duobus esse locis Physicis ultrò largiantur? quæ ut omnium ἀτόπων ἀτοπώτατα in auri- bus sanorum hominum meritò sunt inaudita. Valeant igitur isti τοπόγραφοι, & nobis quidem dimensiones sanctissimi corporis CHRISTI relinquunt, quas factas tectas libenter & ex animi sententiâ agnoscimus, & propter eas corpus CHRISTI in ipsâ etiam τὸ λόγῳ hypostasi finitum esse & manere credimus; nulla tamen consequentiâ per eandem actu locale fieri posse, iudicamus.

*Epilogus.*

HÆC pauca sunt, Ornatissimi Domini Collegæ, quæ præcipuè ex Principijs & Adfectionibus Scientiæ naturalis ad unam atq; alteram controversiam Theologicam strictim & ut in transcurso applicare volui, ut ita vobis ipsis ansam præberem de pluribus cogitandi. Videtis enim quàm non omnino malè sana Philosophicarũ rerum contemplatio ministret Theologiæ, modò non ipsimet nobis vanâ speculatione pedicas injiciamus, divina omnia ad hanc rationis libram unicè examinare volentes. Esto enim nobis Rationis nostræ iudicium in divinis non principium, sed qualecunque adminiculum:



culum: non domina, sed ministra. Quod si ergo præcipit aliquid fides, quod adversatur rationi, ibi libenter captivam se duci patiatur à fide Ratio: si quid habet ratio, quo adjuvare possit fidem, faciat id quidem promtè, sed ὡς πρὸς ἐκ πρὸς ἰουσίαις, non ut domina imperando, sed ut ministra fideliter inserviendo. Non enim de necessitate Fidei est Rationis conjunctio, quasi in divinis semper uno oculo ad fidem, altero ad naturæ vires respiciendum sit: sed nihil omnino rationis dictamine eget fides: quod si tamen illa recto tramite fidem sequatur, ut officiosa pedissequa à fide non rejicitur. Tali igitur temperamento utentes, sobriè & sanè rerum naturalium contemplationem ad rerum divinarum intelligentiam adhibebimus.

SE D abrumpo telam, & ad id, quod restat, me converto. Proinde, privatis hisce nostris congressibus, quibus exodiū hoc brevi discursu attexere placuit, colophonem imposituri, primū omnium, fonti omnis sapiētiæ DEO Ter-opt, ter-maximo, in cujus nomine ad hæc exercitia cōvenimus, immortales agimus & habem⁹ gratias, pro gratiosâ suâ præsentia & largâ auxiliij divini communicatione, qua studia nostra in hisce quoq; nostris colloquijs sine dubio non parum promovit: eundemq; toto pectore rogamus, ut deinceps quoq; omnes actiones nostras moderetur Spiritu sapientiæ & virtutis, ut fiamus vasa misericordiæ divinæ, & organa salutaria Ecclesiæ & Reipub. Vobis quoq;, Lectissimi juvenes, singulares habeo gratias, tum quod hac qualicūq; meâ opellâ in hisce privatis disquisitionibus gratâ mente uti voluistis, tum etiam, quod tam constanter & diligenter in hunc usq; diem mecum perseverastis omnes. Quo quidem in genere



247  
810

genere spectatam vestram industriam, fidem & candorem planè singularem tum mihi tum vobis invicem factis superq; probastis. Ego verò pro mea tenui parte, vobis omnibus atque singulis vicissim omnia mea studia & debita pietatis & amoris officia ex animi sententiâ studiosè offero; daboque operam, ut me vobis non tam verbis, quam ipsâ re & animo, pro cuiusq; loco & conditione, proq; virium mearum modulo, benè voluisse, intelligatis.

**F I N I S.**



1017





